

SECTIO II.

DE

QVAESTIONE IPSA.

CAPVT I.

§. I.

PRæmissis ita L. B. illis, quæ necessaria duximus, ut præcognoscantur, devenimus jam ad ipsam rei tractationem. Ubi quæritur: *An in Libros Symbolicos jusjurandum categorice sit præstandum? An liceat illud fieri sub conditione, quatenus non adversantur Scripturis Sacris?* Uti prius omnibus Orthodoxis probatum est hætenus, ita etiam ego illud assero, & contra Adversarios pro virili defendere, declinatis eorum petitionibus hostilibus allaborabo. Affirmandum itaque cum nostris Theologis, non jurandum tantum esse in Libros Symbolicos universales, aut universalibus strictiores vel in minori gradu tales, verum etiam in particulares uniuscujusque Ecclesiæ Orthodoxæ, non equidem cum quadam restrictione aut conditione consensus illorum cum Sacris Literis, sed absolute, præsupposito jamdum consensu, tanquam conditione impleta, non adhuc supplenda. Et hanc thesin singuli ymoſiwo Lutherani asserunt & defendunt. *Vid. Præf. Dialys. Hulfemanni à pag. 109. usque ad 135. D. Carpzov. in Isag. in Libr. Symb. apborm. Et quæst. gener. p. 6. 7. it. Kromeyer. in Loc. Anti Syncret. Loc. VII. Thes. 4. p. 242. Et c.*

§. II. Firmam autem hujus thesios confirmationem ex duplici ratione peto, quod videlicet Juramentum in Libros Symb. & fieri possit & debeat. Illud tam ex ju-

D 3

re di-